









19.  
57

COLLEGII FEUDALIS  
*DISPUTATIO XII. & Ultima.*

*De*  
**ACTIONIBVS FEV-**  
dalibus, iudice & iudicio feudali.

*Quam,*

*D. O. M. A.*

In celeberrima Academia VVite-  
bergenſium

*SUB PRAESIDIO*

**HELFRICI ULRICI HUNNII**  
Marpurgenſis Heſſi J. U. D.

*Privati exercitiij cauſa proponis*

**THOMAS Schröder** Neapolitanus  
Sileſius.


*Ad diem 8. Auguſti horis & loco ſolitis.*



*VVITEBERGÆ*

Typis Laurentij Seuberlichij.



21.  
  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
ET CONSULTISSIMO VIRO,  
DOMINO

MATTHIÆ BILIZERO  
â BILITZ, U. J. DOCTORI PRÆ-  
claro & Illustris. Principis ac Dn. Dn. IOHANNIS  
GEORGII Marchionis Brandenburgici &c, CAN-  
CELLARIO Dignissimo & Spe-  
ctatissimo.

VT ET EIVSDEM GERMANO,

Viro Nobili, Excellentiss. & in Arte Medica Præstan-  
tissimo, Solertissimoq; Domino

CHRISTOPHORO BILIZERO  
â Bilitz Phil. & Med. Doctore  
eximio.

*Mecanatis & fautoribus suis obser-  
vanter colendis.*

Feudale hoc exercitium submissè in-  
scribit & addicit

THOMAS Schröder Neapoli-  
sanus Sil.





DISPUTATIO FEUDALIS ULTIMA.

De

Actionibus feudalis, iudice  
& processu feudali.

THESIS. I.



UM haecenus, quantum quidem in-  
stituti nostri ratio patiebatur, expo-  
suerimus, quale sit jus feudorum, quo,  
ve pacto constituatur, acquiratur &  
amittatur, restat, ut aliquid de Actionibus, ju-  
dice ac iudicio feudali subiiciamus.

II. Actiones feudi nomine competunt aut  
Domino feudi, aut vasallo, aut liberis & agna-  
tis defuncti vasalli. *Conrad. Rittershus. in part.  
feud. lib. 2. cap. 8. quest. 1.*

III. Domino competunt actiones tam in rem,  
quam in personam: In rem actio sive rei vindi-  
catio directe competit Seniori, tanquam Do-  
mino rei feudalis directo, tam adversus tertium  
rem feudalem possidentem, quam adversus i-  
psum vasallum, feloniâ ipso jure commissâ, de  
re feudali sibi instituenda. *Duarenus in comment.  
feud. cap. 19. n. 1. Borcholt. de feud. cap. 9. num. 21.  
Rittershus. in part. feud. lib. 2. c. 8. quest. 14. Vult.  
in com. feud. lib. 2. c. 1. n. 19.*

A 2

IV. Quan



IV. Quanquam, monente Conrado Rittershusio, rei ista vindicatio Seniori concedatur nō tanquam de feudo, sive de re feudali, sed tanquam de re propria, dominoque ejus subjecta *Rittershus. in d. quest. 14.*

V. Actio personalis Domino competens est primò Condictio causā dati causa non secuta, quæ & ipsa utilis est ad rem feudalem repetendam, si vasallus servitia ob feudum constitutum promissa seniori præstare detraxerit. *tit. 21. lib. 1. Feud. Rittershus. in d. cap. 8. quest. 14. Borcholt. cap. 9. n. 22. Vult. d. cap. 1. n. 17.*

VI. Quam etiam tunc competere, cum feudum feloniam sive culpam vasalli extinctum est, probabilius videtur. *Duar. in com. feud. d. cap. 19. n. 1. Rittershus. d. quest. 14. & Rosenthal in synopsi feudali cap. 10. conclus. 40. n. 26. & seqq. Borcholt. d. num. 22.*

VII. Idq; indistinctè, sive expressa & determinata fuerint servitia; sive non. *d. tit. 21. vide Rittershus. in d. quest. 14. Duaren. d. c. 19. n. 1.*

VIII. Quod si dominus malit urgerè & exigere servitia quam feudum repetere, datur ipsi condictio ex Lege, descendens ex obligatione feudali, qua vasallus seniori ad servitia & fidelitatem præstanda obstrictus est. *Vult. d. n. 17. Diss. Rittershus. d. cap. 8. quest. 14.*

IX. Quin



**IX.** Quin etiam actionem ex stipulatu habet Dominus ad debita servitia exigenda, si quidem servitia stipulatione sint promissa. *Vult. d. n. 17.*

*Duaren. d. c. 19. n. 1. & Rittershus. in d. quest. 14.*  
**X.** Adhæc, datur feudi domino adversus extraneum, in quem feudum sine ipsius consensu alienatum est, condictio ex lege, sive ex constitutione Friderici, per quam feudum alienatum sibi restitui postulat. *tit. 55. lib. 2 Feud. junct. l. unic. ff. de condict. ex lege Rittershus. d. cap. 8. quest. 16. Diss. Vult. d. cap. 1 n. 18.*

**XI.** Sed utrum & præjudicialis actio concedatur seniori adversus vasallum? controversum est: sunt enim qui hoc affirmant, & sunt qui negent: Affirmantium tamen sententiæ subscribendum videtur. *Giphan. in tractat. feud. cap. ult. Rittershus. in d. cap. 8. quest. 15. Zasius ad §. præjudiciales. Instit. de act.*

**XII.** Inter dicta quoq; domino pro feudo accommodari plurimi existimant, propterea quod ipse civiliter possideat: Vasallus autem rem feudalem non possideat, sed duntaxat detineat; aut possideat saltem naturaliter: Veruntamen contraria sententia probabilior est: Et quod res feudalis à vasallo possideatur civiliter supra à nobis defensum est *in disputat. 9. thesi 8. Borcholt. in d. tractat. feud. c. 9. n. 25. Rittersh. in d. c. 8. quest. 17. Diss. Vult. in d. cap. 1 n. 22. Duaren. cap. 19. n. 6.*

A 3

XIII. Et



**XIII.** Et hæc quidem actiones, quas diximus, competunt Seniori: Vafallo autem confimiliter ratione feudi conceduntur actiones tam reales, quàm personales: primo enim habet vafallus de re ipsa feudali utilè rei vindicationem, qua rem feudalem ab alio possessam sibi restitui postulat. *tit. 8. ibiq; interpp. Hotom. Schenck Baro & Alvarott. lib. 2. Feud. Vult. d. cap. 1. n. 13. & Borcholt. d. cap. 9. n. 1. Rittersh. d. cap. 8. quest. 2.*

**XIV.** Quæ actio utilis est vafallo non solum adversus extraneum; sed etiam adversus ipsum dominum feudi, qui exceptionè domini frustra vafallo objiciet *arg. d. tit. 8. §. rei. Rittershus. in d. lib. 2. cap. 8. quest. 2.*

**XV.** Etsi porrò, ut diximus, etiam domino tribuatur de re feudali adversus detentorem ejus, vindicatio & quidem directa: In concursu tamen, si scilicet uterq; tam vafallus quam dominus feudum vindicare contendat, illum huic proferri communiter placuit. *Borcholt. d. cap. 9. num. 2. Vult. d. cap. 1. n. 24. Rittershus. d. cap. 8. quest. 2. §. 16.*

**XVI.** Et vafallo, etiam abusivè investito, rei vindicationem competere hæc ratio satis luculenter ostendit, quòd etiam per abusivam investituram nō minus utile dominum ad vafallum transferatur quàm per propriam, sicut in *Disp. 8. thes.*



8. thes. 75. Diss. Rittershus, in d. quest. 2. & Vult.  
d. cap. 1. n. 12. Borcholt, cap. 9. n. 9. & 10.

**XVII.** De ipso quoque feudo comparata est  
vasallo actio in rem, quæ, ut de servitutibus est  
confessoria aut negatoria, prout recte monet  
Anton. Cont. in method. feud. cap. 13. Vultejus,  
in d. cap. 1. num. 13. Rittershus, in d. cap. 8.  
quest. 4.

**XVIII.** Deniq; vasallo datur etiam petitio he-  
reditatis de feudo, si quidem hereditarium est :  
Feudum enim ex pacto & providentia nūquam  
per se in hereditatis petitionem venire certissi-  
mum est : Vide Rittershus, in d. cap. 8. quest. 31.  
Diss. post Sneidevvinum ad §. actionum. 1. de  
act. sub rubric. de petit. heredit. num. 54. Iohan.  
Niell. in Disput. feud. 9. Corollar.

**XIX.** In personam actio vasallo competit,  
feudo nondum per investituram cesso & traditio,  
de traditione & investitura facienda, ex con-  
ventionem, quâ ipsi feudum promissum est Vult.  
d. cap. 1. num. 11. Rittershus, d. cap. 8. quest. 5.  
Borcholt, d. cap. 9. num. 10.

**XX.** Quod si stipulatione promissum sit, du-  
bium nullum est, quin adversus promissorem  
habeat vasallus actionem ex stipulatu. Vult.  
d. num. 11. Borcholt, d. num. 10. Duar. de feud.  
cap. 18. num. 2.

**XXI.** Sim



**XXI.** Sin promissio feudi nuda est, deficit actio, ut quæ ex nudo pacto nasci non soleat, pro ut innumeris in locis juris nostri civilis cautum legimus. l. 7. §. quinimo. ff. de pact. l. 45. eod. l. 10. C. eod. vide Diss. 6. thes. 7. & 8. Diss. Borcholt. d. cap. 9. n. 10. Vult. d. cap. 1. n. 11. Duaren. d. c. 18. num. 2.

**XXII.** Feudo autem per investituram tradito, & contractu feudali inter utrumque vasallum, inquam, & seniore inuito competit vasallo condictio ex moribus, quæ est actio in personam quâ ad id agitur, in quod dominus vasallo suo ex contractu feudali obligatus est. tit. 6. vers. dominus quoq. lib. 2. Feud. Duarenus de feud. cap. 18. Vult. d. cap. 1. num. 12. Rittershus. in d. cap. 8. quest. 5.

**XXIII.** Dentur præterea vasallo ratione feudi & interdicta tam adipiscendæ possessionis quàm retinendæ & recuperandæ arg. tit. 8. vers. Rei lib. 2. Feud. Borcholt. de feud. cap. 9. num. 17. Vult. d. cap. 1. n. 15.

**XXIV.** Quamvis recuperandæ possessionis interdictum Unde vi vasallo adversus dominum denegari supra statuerim; eò quòd atrocitatem facinoris contineat & gravet atq; suggillet domini famam & existimationem. arg. l. 1. §. 43. ff. de vi & vi armat. vide Disput. 10. thes. 5. Diss. Ritterso



Rittershus. in d. cap. 8. q. 10. Schenck Baro ad §. si  
verò vasallus tit. 22. lib. 2. Feud. Borcholt. d. c. 9.  
num. 18.

**XXV.** Liberis & agnatis vasalli defuncti itidē  
competit & actio in rem, & in personam: In  
rem quidem actio eadem quæ vasallo. Siqui,  
dem realis actio ad hæredes transitoria est, uti  
jure civili expressè docemur. l. 42. ff. de Rei vind.  
dicat. l. 12. §. fin. ff. ad exhib.

**XXVI.** In personam vero actio datur heredi-  
bus vasalli defuncti ad feudum à prædefuncto  
vasallo alienatum revocandum, quæ actio con-  
dictio ex lege est Duarenus in tractat. feud. c. 19.  
num. 5. Rittershus. in d. cap. 8. quæst. 19.

**XXVII.** Et tantum de actionibus feudalibus:  
Secundum, quod in præsentī disputatione per-  
tractandum proposui, est iudex feudalis coram  
quo exercendæ sunt prædictæ actiones.

**XXVIII.** Qui est vel dominus feudi contro-  
versi, vel pares curiæ, vel ordinarius loci illius iu-  
dex Vult. de feud. lib. 2. cap. 2. n. 2.

**XXIX.** Dominus feudi, sive senior tunc est  
competens iudex, cum de feudo contentio est in-  
ter pares curiæ tit. 55. §. penult. lib. 2. F. Duare-  
nus de feud. cap. 20. n. 2. Borcholt. de feud. cap. 10.  
n. 17. Vult. d. cap. 2. num. 10. Rittershus. in partit.  
feud. lib. 2. cap. 9. quæst. 2.

B

**XXX.** Et



**XXX.** Et hoc quidem indistinctè, siue sponte suâ, siue coactus vasallum litigantem investierit dominus *arg. d. tit. 55. §. penult. Et tit. 16. lib. 2. Feud. Vult. d. c. 2. n. 12. Borch. c. 10. n. 19.*

**XXXI.** Et siue Clericus sit Dominus, siue laicus. *cap. ceterum extr. de judic. Et cap. verum extra de foro competenti. Vult. d. cap. 2. n. 13. Borcholt. d. cap. 10. n. 25. Rittershus. in part. feud. lib. 2. cap. 9. quest. 2.*

**XXXII.** Et siue pares curiæ invicem litigantes Clerici sint siue laici. *d. cap. ceterum Et cap. ex transmissa extr. de foro compet. Duaren. d. cap. 20. n. 6. Borcholt. cap. 10. n. 21. Et seqq. Rittershus. d. quest. 2.*

**XXXIII.** Nec refert, feudum sub servitiis concessum sit, an sine servitiis *Borcholt. d. cap. 10. n. 20. Et Rittershus. d. q. 2.*

**XXXIV.** Hoc verò, quod diximus, seniore esse competentem iudicem parium curiæ litigantium, tunc procedit, cum utrinque litigantes fatentur ultrò, aut per se constat, illos domini iudicis vasallos esse: Si enim alteruter negat, se domini vasallum esse, jam non dominus feudi, sed pares curiæ competentes erunt litigantium iudices. *Vult. d. cap. 2. n. 14. Duarenus d. c. 20. n. 3. Zasius part. 11. n. 8. Borcholt. d. cap. 10. n. 31. Rittershus. d. cap. 9. quest. 2.*

**XXXV.** Fal



**XXXV.** Fallit etiam hoc quod dominum feudi competentē esse judicem dictum est, in fœmina quæ feudum dedit, arg. l. fœmina 2. ff. de R. iur. l. 12. §. 2. ff. de iudic. Comā. lib. 1. com. c. 8.

**XXXVI.** Fallit item in minore, octodecim annis, hunc quippe judicem esse ætas prohibet. l. quidam consulebant 57. ff. de re iudicata Cujac. 17. observ. 30. Duaren. in d. l. 57. Donell. 17. comm. 24.

**XXXVII.** Quid verò de pupillis, viduis cæterisque miserabilibus personis dicendum? Existimant quidam nec hos declinare posse judicem feudi ordinarium; verum, & verior & benignior sententia est existimantium licere hisce, ex privilegio Imperatorum pro arbitrio suo adire vel dominum feudi vel judicem loci ordinarium. arg. l. unic. C. quando imp. inter pup. & vid. Sonsbec, part. 14. n. 28. Borcholt. d. cap. 10. n. 26. Curt. jun. part. 7. n. 12. Diss. Vult. in comm. feud. d. cap. 2. n. 22. & in d. l. unic. n. 17. & seqq.

**XXXVIII.** Pares curiæ sunt iudices quotiens contentio est inter dominum & vasallum de causa feudum concernente tit. 55 §. 2. vers. præterea. lib. 2. Feud. & tit. 39. §. si inter & tit. 16. eod. lib. 2. tit. 21. lib. 1. F. Vult. d. cap. 2. n. 23. Borcholt. cap. 10. n. 5.

**XXXIX.** Quod ad eò verū est, ut nihil inter sit cuius conditionis & qualitatis sit dom'no feudi;



superiorem recognoscat, an vero non; ita ut si  
inter Imperatorem & vasallum lis oriatur, pares  
curiæ cognoscendi potestatem habeant *Borcholt. d. cap. 10. n. 6. Curt. Iun. part. 7. num. 34.*  
*Vult. d. c. 2. n. 23. Rittershus. in d. cap. 9. quest. 6.*  
**X L.** Et quidem omnes pares curiæ simul  
cognoscunt: Nisi placuerit quosdam so-  
lum ex illis eligi, coram quibus causa propona-  
tur: Tunc enim dominus quosdam eliget, &  
eliget quosdam vasallus *tit. 16. lib. 2. Feud. Zas.*  
*part. 11. n. 12. Borcholt. d. cap. 10. n. 9. Vult. d. c. 2.*  
*num. 25. Rittershus. in d. lib. 2. cap. 9. quest. 10. sq.*  
*Sonsbec. part. 14. num. 32. Duarenus in com. feud.*  
*cap. 20. num. 1.*

**X L I.** Ut autem Dominus solus eligat nul-  
lâ consuetudine induci potest *Borcholt. d. cap. 10.*  
*n. 10. Vult. d. cap. 2. num. 26. Rittershus. d. cap. 9.*  
*quest. 14. & Zas. part. 11. num. 14.*

**X L II.** Interim tamen si vasallus circa ele-  
ctionem contumax existat & aut nolit eligere,  
aut in electione tergiversetur, tum in pœnam  
eius soli à vasallo electi iudices erunt. *Ritters-*  
*hus. in d. cap. 9. quest. 12. Vult. d. cap. 2. num. 27.*  
*Sonsbec. d. part. 14. n. 32. Schrader. part. 10. sect.*  
*8. n. 118. cum sqq. & n. 131. & sqq.*

**X L III.** Ut & vice versâ si dominus nolit  
eligere aut in eligendo tergiversetur, facultas e-  
ligendi



ligendi ad dominum transfertur. *Schrader. d. sect. 8. n. 136. & sq. Rittersh. in d. c. 9. quest. 13.*

**XLIV.** Electi porro pares curiæ coguntur cognoscere & sententiam ferre: quod quibus remediis fiat, exponit *Rittershus. in d. cap. 9. quest. 19.* Adde *Schraderum in d. part. 10. sect. 10. num. 49. & sqq.*

**XLV.** Sed utrum antequam cognoscant, cogantur novum juramentum præstare de rectè judicando? Controversum est, placet tamen sufficere fidelitatis juramentum à paribus semel domino præstitū. *Vult. d. cap. 2. n. 29. Borcholt. d. cap. 10. n. 37. Rittershus. d. cap. 9. quest. 9.*

**XLVI.** Ordinarius judex cognoscit & judicat de causis feudalibus certis solum quibusdam casibus; Quorum primus est si pares curiæ ex rationabili aliqua causa suspecti arguantur, tum enim lite inter vasallum & Dominum orta, causæ cognitio ad ordinarium devolvitur. *Borcholt. d. cap. 10. n. 11. Rittersh. in d. cap. 9. quest. 24. Vult. d. cap. 2. num. 33.*

**XLVII.** Secundus casus quo de causis feudalibus cognoscit ordinarius est, quando dominus nullos alios habet in alia curia pares; id quod per se satis est manifestum. *Rittershus. d. cap. 9. quest. 24. Borcholt. c. 10. n. 13. Vult. d. c. 2. n. 34.*

**XLVIII.** Tertius si pares curiæ in eadem

B 3

causa



causfa deberent testimonium perhibere, cum  
facilius sit invenire iudicem quam testem, pote-  
rit tunc ad ordinarium iudicem iri. *Rittershus. d.  
quest. 24. Vult. d. c. 2. n. 36. Borch. d. c. 10. n. 12.*

**XLIX.** *Quartus* si dominus conveniatur ab  
extraneo & eo qui omnino vasallus non est, nec  
feratione rei controversæ vasallum esse ostendit:  
Et è contra si extraneus conveniatur à domino,  
tanquam de re non feudali, tunc enim non pa-  
res curiæ sed ordinarius iudicat. *Vult. d. cap. 2.  
num. 31.*

**L.** Quo ad *processum juris* feudalis, observari  
debet de illo talis regula; Quòd in causis feuda-  
libus servari debeat ritus & ordo sive processus  
iudicij iure communi usitatus ac receptus; Nisi  
quatenus in iure feudorum aliquid singulare ac  
proprium fuerit introductum, *tit. 1. lib. 2. Feud.  
Niell. in disputat. feud. 10. thes. 4. Conrad. Ritters-  
hus. in part. feud. d. cap. 9. quest. 29. Vult. cap. 3.  
num. 2.*

**LI.** Quare quoad Citationem hoc singulare  
est, quòd cum iure communi citati regulariter  
non impetrat à magistratu venià in jus vocari  
possint; Dominus à vasallo non possit sine venia  
citari; Quamvis vasallus è contra possit absque  
speciali veniæ impetratione à seniori in jus im-  
pune vocari. *vide supra disputat. x. thes. 3.*

**LII.** Sic



L II. Sic etiam jure civili iudices ab initio jura,  
re debent se juste judicaturos : At paribus curiæ  
ut & domino in causis feudalibus judicantibus  
hoc juramentum remissum est, ut diximus su-  
pra *thes. 45. Rittershus. in d. cap. 9. num. 29.*

L III. In causis civilibus juramentum ca-  
lumniæ exigi solet à litigantibus ; At in causis  
feudalibus, quæ inter dominum & vasallum  
vertuntur, juramentum calumniæ à Domino  
non exigitur, *tit. 33. vers. in quibus lib. 2. Feud.*  
*vide allegatos ad thes. 19. disputat. 9. quibus adde*  
*Vult. in d. cap. 3. n. 6. & Rittershus. in d. quest.*  
*29. & 30. 31. & 32.*

L IV. A vasallo verò dominus licite jurameno-  
tum calumniæ exigat, *Donell. 24. com. 13. Diss.*  
*commun. omnes.*

L V. Ut & vasallus cum vasallo litigans quàm  
juramentum recte exigat, à convasallo suo  
dubitare non licet *arg. d. tit. 33. §. in quibus*  
*lib. 2. Feud. Rittershus. in part. feud. lib. 2. cap. 9.*  
*quest. 32. Vult. d. cap. 3. n. 8.*

L VI. Quoad probationem, processus feuda-  
lis plurimum differt à processu civili: In proba-  
tione enim quæ fit per testes hæc sequentia sin-  
gularia sunt. 1. Quòd testes solùm admittantur  
masculi non etiam, ut jure civili, foeminae *tit. 32.*

*S. fin.*



120  
§ *fin. verb. præter fœminã lib. 2. Feud. Rittersh. in*  
*c. 10. q. 3. Vult. lib. 2. c. 3. n. 15. Borcholt. d. c. 10. n. 41.*  
LVII. 2. Quòd in causis & iudicio civili admit-  
tantur testes etiam extranei : At in iudicio feu-  
dali, ubi de nova investitura probanda agitur,  
non nisi pares curiæ, sive convasalli eiusdem cu-  
riæ. *tit. 26. §. testes verò lib. 1. Feud. Rittershus. d.*  
*c. 10. q. 4. Schrader. de feud. part. 5. c. 2. n. 3. Et sqq.*  
*Vult. d. cap. 3. n. 15. vide Disputat. 8. thes. 13.*  
LVIII. 3. Quòd in iudicio feudalicum de felo-  
nia & ingratitude probanda agitur, requiri an-  
tur quinq; testes, & quidem summæ & integræ  
opinionis *tit. 57. lib. 2. Feud. Schraderus. in tract.*  
*feud. part. 9. sect. 13. n. 13. Et sq. Ritterh. d. c. 10. q. 6.*  
LIX. 4. Quòd instrumentũ, quo in causis feu-  
dalibus probatio fit, subscriptum debeat esse  
manu duorum parium curiæ, non etiam extra-  
norum. *de quo supra in Disput. 8. thesi 26.*  
LX. 5. Quòd licet iure civili actore non pro-  
bante, reus tamen si nihil ipse præstiterit, absolvi  
debeat : iure tamen feudali, quamvis in probati-  
one actor succumbat, defensio tamen juratoria  
ei datur cum duodecim sacramentalibus. *tit. 4.*  
*vers. dabitur ei defensio Et tit. 10. v. cũ duodecim*  
*sacramentalibus. lib. 1. Feud. Vide Rittersh. in sepe*  
*citato cap. 10. quest. 19. 20. Et quest. 7. Vult. d.*  
*cap. 3. n. 19. Et 20.*

SOLI DEO GLORIA.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011



SB

VD 17

Retrokonv.,









